





Q. D. D. V.

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> IN<sup>A</sup>UG<sup>U</sup>R<sup>A</sup>LIS MEDICA  
OBSERVATIONEM <sup>14</sup>  
**A P O P L E X I A E**  
EX  
NIMIS ANIMI CONTENTIONIBUS  
ORTÆ  
SISTENS  
QUAM  
DIVINO NUMINE ASSISTENTE  
ET FACULTATE MEDICA GRATIOSE ANNUENTE  
**P R O    L I C E N T I A**  
**G R A D U M    D O C T O R I S**  
IPSIQUE ANNEXA PRIVILEGIA  
RITE CONSEQUENDI  
SOLENNI ERUDITORUM SCRUTINIO SUBJICET  
**J OHANNES N ONNENMANN**  
ARGENTINENSIS  
AA. LL. M.  
DIE XXVII. SEPTEMBRIS A. MDCCCLXXI.  
H. L. Q. C.

---

A R G E N T O R A T I

ex Officina JOH. HENR. HEITZII, Universit. Typogr.

ILLUSTRI  
LIBERALITATIS  
SCHENCK BECHERIANÆ  
DNN. DISPENSATORUM  
COLLEGIO  
VIRIS  
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMO,  
CONSULTISSIMIS, EXPERIENTISSIMO,  
EXCELLENTISSIMIS  
DE REPUBLICA ET LITERARIA  
ÆTERNUM MERITIS  
DNN. MÆCENATIBUS  
ATQUE  
PATRONIS  
AD CINERES USQUE OBSERVANDIS, COLENDIS, VENERANDIS,  
UT GRATI ANIMI MONUMENTUM EXTARET  
PIA INTER VOTA  
HOC SPECIMEN  
SACRUM ESSE VOLUIT  
AUCTOR.



## Proœmium.


**A**rduum certe est juveni, quem leges Academicæ ad Specimen aliquod studiorum edendum adstringunt, ejusmodi eligere thema, quod sua se & novitate & tractationis commendet præstantia, vires tamen tyronis non superet, quem nec elaborationum consuetudo, nec requisita semper eruditio, nec debita styli elegantia ornant. His ego quoque pressus difficultatibus, dubius diu hæsi, quam præcipue in partem me verterem, ut digni quid offeram. Fixit tandem animum Experientissimus Dn. BOEHM Archiater & Consiliarius Sarapontanus & Fürstenbergensis, Xenodochii Civitatis Medicus primarius, Senatus majoris Aſſessor, communicata mecum observatione quadam Practica, quam cum Cel. UMBSCHEIDEN Archiatri Meisenheimensi felicissimo, a quo ſectionis in cadavere factæ historiam & oſſiculum in falce repertum tenemus, habuit. Humanitatis hoc ſpecimem, quod inclyti hi Viri in me contulere grata recolere mente nunquam definam. De observationum in medica arte utilitate, eo minus ali- quid præmitto, quo magis inter omnes conſtat, eas Medicinæ originem dedisse & hodie adhuc unicum casti ratiocinii fundamentum effe. Ad rem ipsam potius pro- perans, historiam morbi & aliqua, quæ animo feso ob- tulerunt conjectaria, Benevoli Lectoris indulgentia pro- pono.

A

## HISTORIA MORBI.

**N**obilis vir 58. annum agens, cuius morbi historiam pandere animus est, Joviali gaudebat temperamento & lacertosa Venis magnis distincta exhibebat membra, nec parvum, dum fanus erat experiebatur appetitum, æquam tamen & exactam degendi rationem non neglexit, si excipis eos, quos officii ratio requirebat excessus, quibus vir generofus obrutus, sanitatem iterum obruebat, mortemque accelerabat. Non raro enim labores ad secundam & tertiam usque sequentis diei prötatrahebat horam & corpus suum quiete & somno frustrabat. Nihilominus tamen, beata, qua dignus erat, fruebatur vita, & fere nunquam labefactatam sentiebat sanitatem, nisi quendam plethoræ sensum, cui ut occurrat, Venæflectionem quotannis sibi institui curavit, quam vero solito tempore priusquam decubuerit, temere neglexit. Hic Vir, cum durante penultima, quam degerat hyeme, in Principatu Bipontino esset versatus, morbo rheumatico, gravedine & tussi erat cruciatus, quod omne tamen egregius vir minus obsequiose tractabat nec debito modo sanitati consulebat. Sequentे etiam Martio prædium suum Ingovillam dictum adeuns, ibi ob tempestatem asperam Ventisque gelidis adhuc agitatam in eundem de novo incidebat morbum, nec cautius ac antea in ejus cura fese gerebat, quare factum, ut versus medium mensis Maji ægrotans fueto cum emolumento perspicillo suo uti non posset, sed nisi alter fuerit oculus clausus objecta videret duplicata. Cum memoria aliquandiu jam vacillaret eo usque nunc morbo succubuit, ut eximius vir ne narratiunculam proferre debito modo valeret, imo certis temporibus mentis facultas tan-

tam trahebatur in perniciem, ut nullus amplius in enarrando conspicundus daretur ordo nec antedictorum compos effet. Eodem quoque fere tempore somnolentia insignis & tanta debilitas membrorum extremorum præcipue lateris dextri invadebat eum, ut firmo niti talo non valeret atque quando hinc inde ire cupiebat, robore ministrorum, qui illum suffulciant, egeret, ne in terram, in quam a dextra parte maxime inclinavit, procidat. Attendendum quoque est somnolentiam eodem semper gradu non viguisse, sed magis lœta quandoque habuisse intervalla, quibus debilitas pedum perfecte sese accommodavit & pari passu ambulans mox vehementior, mox remissior apparuit. Tanto malorum agmine ægrotus licet jamjam effet stipatus, præternaturali nasi & alvi siccitate etiam affligebatur, unde ut alvus respondeat, non nisi clysmatum ope obtinere potuit. Organon uropœum, quamvis sitis abesset, nec multum potulentorum assumetur, præternaturali quantitate urinam excernebat. Sagaces Medici, morbum hunc numero & gravitate symptomatum insignem & funestum ut fugent, omnia moliti sunt, quæ unquam ars nostra salutaris suppeditare valet. Haud ignorabant abundans ac vitiatum serum a colatoriis repulsum cum periculo nobile cerebri viscus petuisse & deleterios ibi edere effectus, hinc totus curæ cardo in eo vertebaratur, quo humores spissi attenuentur, deriventur & expellantur partesque debilitatæ corroborentur. Tam justæ & adæquatæ indicationis remedia speratum tamen non producebant effectum, nam vires mentis & corporis quotidie novas patiebantur jacturas, multo tamen evidenteres in dextro brachio & pede quam in sinistro, ita ut pedum usus plane effet denegatus & sine sensu excretio urinæ & alvi perageretur. Ultimam tandem vitæ scenam clausit plenaria virium animalium abolitio cum maximo stertore juncta & vera apoplexia mortuus est, vir longiore vita dignus.



## SECTIO ANATOMICA.

- I. Vasa sanguinea & sinus duræ matris fanguine erant turgidissimi, quasi ars illos materie ceracea replevisset.
- II. Vasa, quæ in superiore cerebri parte decurrent ultra modum erant sanguine expansa, quædam etiam rupta, ut extravasatum fisterent sanguinem.
- III. Detegebatur in processu falciformi fere infra suturam coronariam in latere sinistro ossiculum, quod corpori calloso insistebat & antedicto processui non modo accretum erat sed & tenui velamento obductum & firmatum. Hoc ossiculum adeo corpori calloso insistebat, ut foveolam relinqueret, rubicundo colore tintam nec spongiae ope tollendam.
- IV. In ventriculo cerebri dextro quantitas trium cochlearium in circa lymphæ pellucidæ continebatur; in sinistro vero duo modo cochlearia inclusam mensurabant lympham.
- V. Plexus choroideus deprehendebatur varicosus.
- VI. Thalamus nervi optici sinistri plus dupla quantitate fuperabat dextrum & circiter ad magnitudinem ovi Gallinæ accedebat. Cum diffecaretur, caviū, quo humor flavicans, pellucens, spissiusculus continebatur oculis usurpandum venit.
- VII. Vasa in cerebello decurrentia fanguine maxime repleta æque ac in cerebro reperire licuit.

## §. I.

Prælibata morbi historia & descriptis eis, quæ præter naturam reperta sunt in inciso cadavere, causas, naturam effectusque mali haud difficile erit eruere. Quæ utilitates & commoda ex introspectione cadaverum percipi possent, hinc inde recenset Cel. VAN SWIETEN. Utinam semper liberet ægrotorum incidere cadavera, certe multæ sic morborum causæ latentes detergerentur. At non semper morbi mortisque causa immediata in cadavere reperitur; saepius effectus morbi male pro ejus causa assumuntur; ut non jam loquar de eis mutationibus, quæ mortem sequuntur. Summa ergo cautela opus est in re maximi momenti. Si vero non semper morbi mortisque immediata causa in cadavere detegitur, nonnunquam tamen occurrit & si non statim palam est, potest casto ratiocinio detegi cum causa mortis, nil sit nisi aucta causa morbi. HEROPHILUS & ERASISTRATUS ad supplicium condemnatos inciderunt viros nec iniquum putavere paucorum nocentium morte, innocentibus multis auxilium ferre; crudele esse hodie clamant, mortuos in vivorum usus scalpello subjicere; ac si nondum satis pateret hoc modo detectas esse veritates, quas nullum unquam ratiocinium detexisset, exemplo lapidum in ipso corde, viscere in perpetuo motu constituto, repertorum, ac si influxum sectionum mortuorum non sat monstrassent BONETUS, MANGETUS, MORGAGNIUS, LIEUTAUD &c.

## §. II.

Vitalium æque ac voluntiarum actionum organum, nobilissimum viscus, cerebrum, cum sit pars tenerrima, cum ad sui integratatem tam multiplices requirat conditiones, quid mirum si multivarie ejus actiones lœdi, gra-

vari, tollique possunt? Osseæ structuræ vitia; vitia ex nimia mentis exercitatione inducta; sanguis, serum, quantitate vel qualitate peccantes; pus; varii alii tumores, aliave aliena corpora cerebri expansioni resistentia; vulnera capitis eorumque pedissequa mala pro ea quam vel per se possident vel crescendo acquirere possunt nocendi vi; tandem & extra cerebrum existentes morbi, sed in illud agentes, miros effectus in actiones omnes mentis corporisque producere solent. Ut inde liqueat non esse viscus a quo laborante, tam diversi & adeo diri morbi oriuntur. Ex tanta causarum morbificarum turba, quæ cerebrum afficere solent, duas modo eligere, easque pro dignitate tractare jubet instituti ratio, exercitationes nempe nimias mentis & sanguinem vel serum, quantitate & qualitate peccantes; utriusque enim affectionis exemplum præbet nostra observatio, in qua humorum turba caput a nimis laboribus fatigatum obruit & sic mortuum, mortemque induxit.

## §. III.

Esse intimum quendam mentem inter & corpus sensum & quæ unum patitur alterum, non impune ferre quotidiana loquitur experientia, nec ullus unquam Philosophorum vocare in dubium ausus est. PLINIUS junior a) jamjam corporis fulturis animum sustineri & DEMOCRITUS b) longe ante eum dixit: *Mens increscit, cum adest sanitas, cuius curam habere eos, qui recte sentiunt, præclarum est. Ubi vero corporis habitus dolet, mens ad virtutis exercitationem nullam adhibet diligentiam.* Mentis vero nimias intentiones & nifus, varios progignere morbos jam monuit. CELSUS c) simulque remedia contra hujus generis mala subjungit. PLUTARCHUS d) ideo præcipue commendat Medicinam, quod necessaria sit eis, qui cor-

pus intemperanti studiorum ardore & lucubrationibus  
exercent & frangunt. PLATO e) quoque noxas ex nimis  
studiis perspexit & inter recentiores eadem observavit  
Italus Medicus RAMAZZINI f). Ut non loquar de obser-  
vationibus innumeris, quas omnes sere Practici scriptores  
nobis referunt. Teste BOERHAVE g), JLL. VAN SWIETEN h),  
VIRIDET i), Cel. ZIMMERMANN k). Id adhuc addo, quod  
magnus ille hodiernus Philosophus ROUSSEAU l), haec  
perspexerit, & quod sumiam in hac re laudem meruerit  
imo materiem exantlaverit JLL. TISSOT m).

- a) Epist. L. I. Ep. 9.
- b) Oper. HIPPOCR. Elit FOESII Ep. ad  
HIPPOCR. de nat. hum. p. 22.
- c) de Re medica L. I. Cap. 2.
- d) Oper. O. ed. GUILIELMI XYLANDR. T. II. de tuenda sanitate  
præcepta p. 122.
- e) L. XXXII p. 732. in TIMÆO Ed. Basil.  
1551. p. 551.
- f) Oper. O. p. 648.
- g) Præl. in Instit. T. VI.  
p. 145.
- b) Comment. in BOERHAAVE. T. III. p. 413.
- i) Traité  
du bon chile T. II. p. 647.
- k) Von der Erfahrung in der Arz-  
neykunst T. II. Cap. XII.
- l) Préface de Narcisse Oeuvr. div.  
Nouv. Ed. Neuchatel 1764. T. II. p. 357.
- m) de la Santé des  
Gens de lettres. Lausanne 1768.

#### S. IV.

Philosophorum est inquirere causas influxus mentis  
in corpus & vice versa corporis in mentem. Eo non  
ascendere audet scientia Medica, sed neglecta harum actio-  
num causa, certiora molitur, ad phenomena modo ani-  
mum attentum advertens. Experientia instruitur, hunc  
corporis statum, necessario producere has illasve muta-  
tiones mentis & hunc illumine mentis statum, huic vel illi  
determinato corporis motui originem dedisse; eadem ex-  
perientia docet,

I. Meditatione intensa adeo fortè impulsu cerebro da-  
ri, ut, illo semel in motu constituto, non amplius sit  
in nostra potestate, sic ortas idæas reprimere & cessare

- facerē. Unde illi citius adhuc hujus generis vītia sentiunt, qui uni eidemque semper objecto inhārent, cū omnis impetus unam modo Encephali partem feriat.
2. Mentis applicationes sanguinem versus caput allicere, cum humores semper ferantur in eam corporis nostri partem, quæ in motu constituta est.
  3. Fibra animalis cum rigescit, & ad suscipiendum motum minus apta evadit, dum sāpe movetur, id & cerebro accidere, unde litterati sāpe ex morbo ideas jungere nequeunt, & justo citius seneſcunt. Apud infantes fibræ molles nimis reperiuntur, in senibus nimis rigidæ, uterque excessus justam oscillationem impedit, a qua ideæ oriuntur & memoriam vacillantem gignit.

## §. V.

Sed non nimia mentis applicatio sola omnem turbam malorum generabit, quibus obrui nonnunquam solent viri litterati; considerari quoque merentur motus corporis denegatus; situs, quem corpori dare solent, dum sedentes libris incumbunt; lucubrations, aër inclusus, quo litterati alere se solent, multum quoque hoc faciunt teste Jll. TISSOT a) ut nunc non loquar de eis vitiis, quæ ab immundicie oriuntur, vitio litteratorum sāpe nimis communi, scriptis de hac re Jll. PLATNERUS b), Dissertationem, nec de eis, qui a neglecto potu & cibo oriuntur, nec de eis vitiis, quæ a retentis nimium excretionibus urinæ & foecum originem trahunt, quorum exemplo liceat mortem Cel. TYCHO DE BRAHE afferre, qui, cum ex pudicitia nimia, urinam justo diutius contineret, dum in rheda cum RUDOLPHO II. veheretur, subitam sibi mortem contraxit.

a) Lib. cit. p. 73. b) V. I. Z. PLATNERI *dissertat. de morbis ex immundiciis* Lips. 1731. opuscl. t. 1. p. 70.

## §. VI.

## §. VI.

Gravedo, coryza, morbi nostri scenam aperuere,  
 Symptomata, quæ morbos litteratorum comitari solent.  
 Quid sit gravedo & coryza, quomodo orientur, docet  
 Pathologe & multas ejus causas allegat. Earum duas mo-  
 do adducam, quæ huc maxime pertinere videntur. Ma-  
 teria nimirum viscida, tenax, quæ abundare solent littera-  
 ri, ægrotum prædisposuit ad hunc morbum, aëris tem-  
 peries humida & frigida, eundem induxere, auxere. Ab-  
 undare pituitam apud eos, qui litteris incumbunt, eos-  
 que vario modo vexare ex HORATIO a) scimus, qui quo-  
 que de ea re conquestus est, dicens:

--- *Stomachoque tumultum*  
*lente feret pituita.*

Causam hujus mali quærimus non in mentis applicatione,  
 sed in vita sedentaria, quam degere litteratis necessum est.  
 Cor primum omnis motus fluidorum in corpore nostro  
 esse principium inter omnes constat, at solum, omnia  
 peragere non posse & varia ei a Creatore concessa esse ad-  
 jumenta, quibus deficientibus aut imminutis, omnis cir-  
 culatio langueret iterum ex Physiologicis confectum est.  
 Inter haec circulationis adjuvamina tanquam efficacissimum  
 jure refertur musculorum actio motusque. His ergo im-  
 minutis & deficientibus languet circulatio, cuius ef-  
 fectus primum in vasis minorum ordinum obtinet, quip-  
 pe in quibus vel in statu naturali minus expeditum quam  
 in vasibus majoribus motum humorum esse constat, turba-  
 tur inde omne secretionis negotium, & hinc apud no-  
 strum ægrum præter naturam se habuisse mucum nasa-  
 lem non miramur; urgebat gravedo & coryza, cum tem-  
 pestas hyemalis & aër frigidus muci spilli excretioni  
 maiorem quoque obicem posuerint & perspirationem

B

membranæ Schneiderianæ cohibendo, ut turgens poros excretorios etiam magis premeret efficerit. Num & hic pertineat aër a materie inquinatus, quæ alimentum igni vel lunini præbebat, dum noctu libris incumberet æger? nil definio, cum qualis fuerit materies non constet.

a) Sermon. L. II. 2. v. 75. ed. BENTLEY p. 459.

### S. VII.

Neglectam coryzam & gravedinem, secutum est singulare symptoma visus depravati, per quem unico oculo simplex, duobus duplex apparebat objectum. Aliquot hujus vitii jamjam apud Auctores extant exempla, videantur *Acta Litt. Suec. a)* KLAUHOLD *b)*, MARC. DONAT *c)*, BRIGGS *d)*, & VATER *e)*. Unde illud furgit? Duobus oculis in aliquod objectum directis nonnisi unam imaginem videmus, quia observantibus maximi nominis Viris *f)*, puncta sibi respondentia in utriusque oculi retina occurunt, unde si duo radii cadunt in utriusque oculi puncta, in quibus eadem omnino sensibilitas est, una modo eademque idea surget in mente, uti sonus in ambas aures cadit, aut odor in utramque narem, quæ tamen simplicem modo fensionem procreant. Duplicatus ergo visus erit, si duas imagines in retina non pingunt sese in analogis punctis. Eum ergo procreabunt quæcunque, ut axes optici non concurrant, adeoque in similia puncta retinae utriusque oculi imagines non cadant, efficiunt. Fieri id poterit distorsione voluntaria, id quod omnes in semetipsis experiri poterunt, dum oculus digito versus aliquod latus premitur, vel morbo convulsivo *g)*; vel pupilla distorta *h)*; vel ab altera pupilla fursum altera deorsum flexa *i)*; vel ab exostosi *k)*; vel ab arteriis nervum opticum pulsantibus *l)*, ut forte in ebriis. Sed ad hos casus omnes *m)* nostri ægroti symptoma referri nequit, nec

unde ortus sit hic visus duplicatus, explicari poterit, nisi quod satis verosimile est, hoc produxisse velis post mortem in cranio reperta præternaturalis thalami nervi optici magnitudo n<sup>o</sup>), nervum opticum premens eumque a situ naturali removens, vel & solum ejus volumen id potuisse efficere, mihi videtur; non enim mens in organo sentit, sed motus in organo excitati nervorum ope ad sensorum commune deferantur necesse est, sed facile patet, eundem motum aliter per integrum aliter per pressum nervum ferri, quid quod nervo uno Optico præter naturam se habente, puncta utriusque retinae nequaquam possint esse unifona. Noster quoque casus evincit, nullam esse GALENI o) explanationem ab unione duorum nervorum opticorum defumtam, circa unam imaginem a duobus oculis in idem objectum directis, & miror nostro ævo TAILLOR p), eandem assumpsisse, cum non ignoraverit, nullam in nervo auditorio esse conjunctionem q). De præternaturali thalami nervi Optici magnitudine nihil dicere audeo, cum nec hujus partis utilitas nota sit, nec extet quantum scio analogus casus. Effusam in litterati cranio repartam esse aquam haud miror, uberioris dicetur de hac re infra, magis singulare eam collectam fuisse in thalamo Nervi Optici, id quomodo sit factum nescio, addens tantummodo hunc casum, si eum compares cum faccis, qui in thalamis avium r) pisciumque s) reperiuntur, pulcris detectis ortum dare posse.

- a) A. 1721. p. 230. b) *Diff. de Vis. dupl.* p. 33. habita Arg. 1746.
- c) L. II. C. 8. d) *Opibalmo-Graphia* p. 208. sq. e) *Diff. de Vis. dupl.* & dimid. habita Wittenb. 1732. f) *DE LA HIRE Accidents de la Vue* p. 623. SMITH *System. of Optiks* 1738. rem. upon Art. 137. BUFFON *descript. du Cab.* T. III. p. 310. KLAUHOLD l. c. GRAVESANDE *Physices Elem. Mathemat.* T. II. L V. C. X. p. 805. HARTLEY *Expl. Phys.* T. I. p. 375. sq. LE CAT *Traité des Sens* p. 209.
- g) KLAUHOLD loc. cit. pag. 33. CHESELDEN p. 296. ALBERTI *Med. leg.* L. III. c. 10. BOYLE *Post. caus. final.* STURM *de sensu uniu-*

*mae gemin.*    b) ex fulgure VATER l. c.    i) KLAUHOLD obs. 20.  
 k) PETIT Mal. des Os II. p. 392. sq.    l) VATER l. c.    m) & alios  
 in HALLERI Elem. Physiol. reperiudos T. V. L. XVI. p. 483. sq.  
 n) v. Sect. Cadav. N. VI.    o) de Ufū part. L. X. C. 14. Venet.  
 1641.    p) Mechanismus des Auges p. 194. sq.    q) HALLER  
 Elem. Phys. T. V. p. 299. sq.    r) WILLIS Cerebri Anatom.  
 Cap. XIII. p. 45.    s) Ibid.

## §. VIII.

Quo rarius symptoma est, quod præcedenti tractavimus paragrapho, eo frequentius id observatur in litteratis, quod nunc tractandum occurrit. *Memoria agrotialis quamdiu jamjam vacillans*, eo usque morbo succubuit, ut narratiunculam proferre debito modo non valeret, imo certis temporibus mentis facultas tantam trahebatur in perniciem, ut nullus amplius in enarrando conspicundus daretur ordo, nec antedictorum compos esset a). Deploranda fortis humanæ conditio! qui omnem vitam in mentis culturam impenderunt ante senectutem senes evadunt, & quæ stupenda eruditionis monstra esse deberent, vix quinquagenarium annum acquirere possunt, quin memoriam deletam, judiciumque turbatum experiantur. En quæ dicit magnus VAN SWIETEN b), ac coram oculis habuisset nostrum ægrotum: *Vidi non sine magna commiseratione eruditissimos Viros & de re litteraria quam optime meritos sibi ipsi super- vixisse per annum & ultra, omnium rerum immemores, tandemque apoplēcticos periisse.* Unde cerebri hoc vitium? Rigescere cerebri fibras per nimiam mentis contentionem superius dictum est, idque facile patet ex communi lege naturæ, per quam omnis fibra animalis exercitio rigescit. Homo integer senectute cornu adinfar durescit; calle- scunt opificum membra, quibus ad sua opificia utuntur; litterati ipsum cerebrum callosum quasi experiuntur & fæpe idearum connexioni ineptes evadunt. Tenerum ni-

mis in infantibus est cerebrum, quod duritie peccat in senibus, uterque excessus vibrationibus contrarius est, ad judicium ferendum necessariis; si nunc simul consideres litteratorum caput sanguine præternaturaliter obrui, de qua re plura dicemus infra, non miraberis dudum vacillantem memoriam morbo sic succubuisse, ut nullus amplius in enarrando conspiceretur ordo, ægrotum vere delirasse; nam uti a nimis rapido, vel lento motu viscerum functiones turbantur, ita & hæc in cerebro vera erunt. Deliria enim dicit Cel. VAN SWIETEN c), posse oriri ab omni re, que transfluxum & effluxum sanguinis per cerebrum impedit, subiungitque rationem, *quia turbat secreti nem & motum spirituum per nervos & medullam cerebri ipsum.* Auxilie vero & accelerasse hæc symptomata neglectam Venæfactionem certissime credo, cum inde cerebrum eviderter majori justo sanguinis quantitate fuerit obrutum & ad suas functiones inertius redditum.

- a) *Histor. morbi.*      b) *Comm. in BOERH. Aphor.* T. 3. p. 263.  
c) *I. c. T. 2. p. 324.*

### §. IX.

Congestos in cerebrum humores, suam tragœdiam ludere cœpisse, superiori demonstravi paragrapho, hoc nunc paragrapho, alia scena in conspectum veniet. *Somnolentia insignis invadit ægrotum, eodem fere tempore, quo visum duplicatum, memoriamque deletam experibatur.* Humores ex communī lege naturæ petere illum locum, qui in motu majore est constitutus, inter omnes constat; hinc cerebrum, nimia quavis studiorum applicatione justo majorem sanguinis copiam accipit, qui motum inducendo vasis, producit doloris illum calorisque sensum, quem omnes experimur, dum post nimias mentis contentiones libros derelinquimus, cui dein alia mala quoque

fese subjungunt, pro varia cerebri dispositione, sanguinis  
indole, & rerum concursu magis aut minus funesta. Qua-  
lia sunt inflammations; suppurations; scirrhæ; anevris-  
mata; tumores; dolores capitis; deliria; sopores; lethar-  
gus; convulsiones; apoplexiæ; vigiliae; & quæ alia sunt.  
Unicum afferre exemplum hujus rei liceat ex Cel. Tis-  
sot a) defunctum; noverat, ut ait, Litteris deditum, Cel.  
MORGAGNI narium haemorrhagia semper effectum, quo-  
ties in lecto constitutus, mane priusquam exsurgeret, men-  
tem alicui rei applicabat. Ex tot tantisque malis, quæ  
corpus affligere solent, dum nimia humorum quantitas  
cerebrum petit, solus Lethargus mihi considerandus ve-  
nit. Unde somnus? A minus expedito spirituum nerveorū  
in cerebro motu b), sive sequatur horum spirituum  
defectum, ut ex labore; sive diminutam celeritatem; sive  
cerebrum compressum; maxime si id efficerit lenta cau-  
sa c) & paulatim congesta, nam subitæ compressiones oc-  
cidunt. Debuit ergo necessario oriri sopor in ægroto no-  
stro, cum plures simul causæ ad eum procreandum con-  
tribuerint. Mentis enim labor magnam hujus liquidi ja-  
cturam inducens suam certe hic symbolam contulit, præ-  
cipue si cogites hanc deperditionem rite non restitui, cum  
per nimiam contentionem ipsum cerebrum fatigetur, &  
hinc secretioni justæ minus aptum sit. Plus vero fecit hu-  
morum versus caput determinatio, qui comprimendo ce-  
rebrum eundem effectum producere solent. En præ-  
sponentem causam, cuius effectum acceleravit auxitque  
neglecta venæfæctio confueta, eo magis in hoc subjecto  
periculosa, cum circulatio in abdome imminuta & im-  
pedita, ut postea videbimus, determinaverit quoque san-  
guinem versus locum, ubi non solum resistentia minor erat,  
sed ubi vel stimulus aderat; quod autem, humores ruerint,  
versus caput, fæctio anatomica uberior demonstravit; va-  
sa enim sanguinis, sinusque duræ matris, non solum d).

sed & illa cerebri e) ut & illa cerebelli f), sanguine turgidissima observabantur. Ventriculi præterea aqua repletæ reperiebantur, evidenti testimonio circulationis in cerebro imminutæ, ob vasa nimis turgida & distenta ultra modum hinc vicinas partes comprimentia.

- a) L. c. p. 44.    b) HALLER. *El Phys.* T. V. p. 617. & DE GORTER  
*Exerc.* V. p. 27. 34.    c) HALLER. *Ib.* p. 614.    d) v. *Sect.*  
*Anat.* I.    e) v. *Ib.* II.    f) v. *Ib.* VII.

### §. X.

Adjunxit sepe somnolentiaæ, de qua mox diximus, paralyfis dextri lateris, quam suscepit virium animalium plenaria abolitio & vera apoplexia mortuus est ægrotus. Sopores præfigire apoplexiæ dudum notum, cum duo hæc symptomata eandem agnoscant causam, id quod quam maxime conspicuum est in nostro casu, cum aucta somnolentiaæ causa simul induxit majorem paralyseos gradum, tandemque ipsam apoplexiæ. En quæ Cel. TISSOT a) dicit hac occasione : *Une légère irritation du cerveau suffit pour produire l'insomnie ; une irritation plus forte produit des convulsions, les maladies soporeuses, portée au plus haut degré, elle produit l'apoplexie, mort trop ordinaire aux gens de lettres.* *Ils sont punis par la partie qui a péché &c.* Talem morbi decursum ex sopore in paralyfin & inde in Apoplexiæ habet jam magnus HIPPOCRATES b), & eodem morbo correptus, Cel. MALPIGHIIUS c) memoriae jactura, paralysi, apoplexia affectus mortuus est. Qui sanguis justo majore quantitate in cerebro contentus, secretionem & motum spirituum nerveorum minuerat, sicque soporem induxerat. nunc auctus laqueorum ad instar comprimit nervos & sic fluidi in eis contenti ad musculos influum impedit, unde horum muscularorum resolutio, paralysis, unum alterumve membrum, vel unum alterumve

Iatus modo afficit, si encephali pars huic vel illi inserviens  
læsa modo fuerit, cessabunt vero omnes actiones animales  
& vitales, si comprimens materies vel illa præcise substantia  
medullaris stamina, quæ nervis vitalibus originem  
dant, occupaverit, id quod & in nostro ægroto factum,  
paralyfin extremorum enim suscepere resolutiones sphin-  
cterum, hinc alvi & urinæ sine sensu excretio, donec  
tandem omnis motus vitalis quoque cessavit morsque se-  
cuta est.

a) lib. cit. p. 46. b) L. IV. textu 42. CHARTER Tom. IX. p. 327.  
& textu 48. ibid. p. 330. c) BAGLIVII Op. Omnia, 681.

## §. XI.

Nimia contentioni debebantur, uti vidimus, omnia  
ea symptomata, quæ superioribus tractavimus, ejusdem  
nunc fontis adhuc superfunt alvi nimia siccitas, & urinæ  
justo major execretio examinanda. Unde alvi siccitas?  
Esse aliquem consensum animam inter & primas vias, quo-  
tidiana docet Experientia. Qui magnis lœse meditationi-  
bus dant, ceteris positis æqualibus, digestionis vires debili-  
tatas experiri quotidie videmus, cum e contra bœotico  
ingenio prædicti optime digerant, licet sape vitam de-  
gant sedentariam & robusti haud magis sint quam alii.  
Notum præterea est ex Chirurgicis, vomituritiones sem-  
per fere sequi lœsiones cerebri a casu aut iectu factas, non  
ergo miramur lœsiones primarum viarum a fortí animi  
contentione cerebrum irritante ortas. Facilius autem ad-  
huc res explicabitur, si consideres, omnem & in abdo-  
mine & in thorace circulationem in litteratis esse imminu-  
tam, ob vitam motu minus exercitatam, sestionem ipsam  
& stimulum in capite præsentem, vitiari secretiones a vi-  
sceribus abdominalibus suscipendas, hæc ipsa humoribus  
turgere. Qui vero sint lœsa digestionis effectus ex Patho-  
logicis

logicis noti sunt, nec ullus nominari poterit, quin jam  
 jam in litterato deprehensus sit, colicæ, spasmi, nauseæ,  
 vomitus, acrimoniae, cruditates, igneus calor, fœces du-  
 riores, calculi, mucus spissior & quæ alia sunt, huc per-  
 tinent. Debilitare nimiam animi contentionem primas  
 vias, videmus ex POME a), qui loquitur de litterato, cu-  
 jus digestionis vires adeo erant debilitatae, ut semper  
 post assumtos cibos & potum vomeret. Refert GALE-  
 NUS b), fœminam quandam ARRIAM ex nimio ardore, quo  
 in Philosophiam PLATONIS ferebatur, adeo debilitasse ven-  
 triculum, ut nulla amplius assumere valeret alimenta, &  
 adeo vires dejectas expertam esse, ut non nisi in dorso  
 cubare posset. Stomachum debilitatum sequi umbræ ad  
 instar litteris deditos AMATUS LUSITANUS c) ait; & en, quæ  
 dicit TISSOT d): *J'ai en moi-même des malades, qui ont été  
 punis de cette intemperance littéraire, d'abord par la perte  
 de l'appétit, la cessation absolue des digestions, un affaiblissement  
 général, qui en étoit l'effet; ensuite par des spasmes, des convulsions & enfin par la privation de tous leurs sens.* Cum  
 itaque ex dictis evidens sit, apud ægrotum nostrum di-  
 gestionis vires vacillasse, hinc cur alvo secca excruciatus  
 fuerit, patet, fœces enim justo spissiores sub digestione  
 non rite attenuatae carebant etiam stimulo, quem ipisis  
 bilis, ut rite pro sua excretione contrahantur intestina,  
 dare solet; deficiebat insuper eas propellens inspiratio,  
 quæ ob viscera abdominalia tumentia non potuit non esse  
 imminuta; nec hic omittendum succos gastricum, entri-  
 cum, pancreaticum & mucum intestinalem testante Jll. Tis-  
 sot e) infissari, dum per moram in loco calido detinen-  
 tur, & sic intestina obturare. Talis epistomii, quo clau-  
 debatur alvus, exemplum occurrit in ADAMO f) qui, refert  
 de Batavo Professore JUSTO LIPSILO, ex ejus alvo exiisse  
 massam pituitofam obturantem, unde curatus fuit.

C

- a) *Traité des affections vaporeuses* p. 248.  
 PISONEM Cap. 2. c) *Curat. Med.* p. 141.  
 e) l. c. f) *Vite Med.* p. 372.  
 b) *de Theriaca ad Lib. ctt.* p. 29.

## §. XII.

Obstructo uno alterove abdominis viscere sanguis aliorum majore ruit quantitate, ibique maiores & frequentiores secretiones & excretiones producit, ut Physiologia & Pathologia docent a); id & in nostro ægrototo videtur factum esse, conquerebatur enim de nimia urinæ excretione, sano interim systemate uropœo. Circulatio nempe in visceribus abdominalibus imminuta non poterat non obstructiones facere; obstructum hepar arguere jam docet alvus sicca, ad quam deficiens bilis suam symbolam contulit (§. XI.); alvum siccum symptoma esse scirrhosi ductus pancreatici VIRIDET b) habet & BRUNNERIANIS canibus ex ablato pancreatico dura alvus fuit c); ergo & de pancreatis obstructione magna suspicio adest. De liene apud nostrum ægrotum obstructo vix dubium superest, cum ejus frequentissimus sit scirrhus, teste jamjam ARETÆO d); Magnus HALLER e) obseruat hos scirrhos frequentiores observari in sedentariis quam in rusticis f). Cum itaque sanguini per arteriam cœliacam & utramque mesaraicam tot furrexerint resistentiae, is non potuit non majori copia arterias renales subire, unde secretio renalis omnino copioſior evasit, id quod vel exemplo animalium ex lienis excisione frequentius mutantur, testibus MALPIGHIO, BOHN, BRUNNER, HEISTER, ORTLOB &c. evidens fit. Magnam vero ad hoc symptoma symbolam quoque contribuit perspiratio Sanctioriana in nostro ægrototo, ut in omni literato id accidere solet, multum imminuta, nam semper excretionem urinæ augeri, ubi per-

spiratio imminuta est, haud opus est dicere, cum hæc per Physiologica & Pathologica principia constent.

a) *Gaub. Pathol.* p. 448. b) *Traité du bon Chile* p. 259. c) *BRUNNERI Exp. circa pancreas* p. 175. 176. d) *Caus. diuturn.* p. 43. C. *GALENUS Meth. Med.* L. XIII, p. 481. e) *Elem. Phys.* T. VI, p. 397. f) *Ib.* p. 418.

### §. XIII.

Unicum adhuc, ossiculum, quod in falce repertum est, examinandum occurrit; detegebatur illud, ut in *se-  
tione Anatomica* a) dictum est in processu falciformi fere infra futuram coronariam in latere sinistro corpori calloso insistens, adeo ut foveolam relinqueret rubicundo colore tinctam. Erat hoc ossiculum longitudinis fere 3 linearum, altitudinis fere unius cum dimidia; baseos ad dimidiad lineam accendentis; ex fibris quasi compositum videbatur & gracilescendo in denticulos terminabatur. Nequaquam rara hæc ossicula sunt, imo falcem in os degenerantem anno 1557 jamjam observavit FRANCISCUS ANTONIUS CATTUS b), Anatomicus Neapolitanus, post eum plura hujus rei exempla prostant in BOTALLO c), HORNIO d), SCHEIDIO e), WEPFEROF), CHESELDENO g), VATERO h), MAYERO i), & quæ alia multa occurrunt in *Ætis Parisiensibus* k), MORGAGNI l) &c. Ea autem non nunquam eximiæ esse magnitudinis ex RIOLANO m) scimus, qui reperit os latum quatuor digitos & magis adhuc ex VOLCKHAMERO n), qui falcem ad dimidiad fui longitudinem penitus osseam invenit, & OFFREDO o), qui eam osseam omnino vidit. Unde hoc os? movebatur suspicio, annon ex infelici aliquando lapsu laminæ vitreæ pars disflierit, quæ duræ matris falci affixa tum manebat, cui opinioni causam dedit, tristis, qui aliquot ante annos Cl.

C 2

Virō eveniebat casus , dum præcipitatus ab equo diffracta laborabat tibia , salvo tamen capite , in quo nullum percipiebat dolorem . Num doloris absentia ad refutandam hanc sententiam ? omnino . Accedit adhuc , quod nulla adfuerint symptomata , quæ semper alias male a vulnere affectum cerebrum comitari solent . Datur præterea agmen similium observationum , quas lapsum antecessisse silentio præteritur . Re hac bene ponderata , iterum confugimus ad imminutam lesamque circulationem , quo factum , ut non solum aqua sanguinis pars cum crassamento laxius justo cohæserit , sed ut etiam crassum a naturali sua crasi deflexerit , quam contineare folet terram deposuerit , & sic osseæ huic concretioni ortum dederit . Tribuimus vero hanc humorum nostræ ægroti affectionem , non modo vehementibus & diurnis circulationis ac motuum vitalium turbis , sed & excretionibus inordinatis , ex coctionum vitiis , quibus effectum est , ut chylus minus bene elaboratus etiam præternaturaliter constitutos humores produxerit . A nostro osse nulla exorta videntur symptomata , qui enim ab osse in sinu falciformi reperto , vel in sinu omnino osseo factò excitatur distractionis sensus , quem alii observarunt , vix locum hic habere poterit , cum ob parvitatem hunc edere effectum certe nequiverit . Nec locum possunt habere capitidis dolores & reliqui capitidis morbi , quos observavit MORGAGNI p) in alio hujus generis ægroti , cum ei certe ortum debuerint positioni & constructioni , quibus meninges pupugere . Quæ de apoplexia inde oriunda veneruntur , nos quoque non tangunt , cum nostrum os haud fuerit satis magnum , ut potuerit sanguinis claudere viam aut falcem impedire , quo minus rite se se contrahat .

- a) N. III.
- b) *Ithagog Anat. C. 3.*
- c) *Obs. Anat. 2.*
- d) *Annot. ad eand.*
- e) *Diss. de duob. offic. in Apopl.*
- f) *Exerc. de*

loco affecto in Apopl. p. 257. 258. g) *The Anat. of the hum. body* T. XXXVII. p. 319. h) in Diff. qua Osteogenia &c. in Proem. &c. in Progr. quo obs. Calculor. &c. i) *Commenc.* Litt. N. A. 1731. Spec. 42. p. 330. k) A. 1711. p. 27. 1713. p. 21. 1734. p. 44. l) de sedibus & causis morborum Ep. III. Art. 20. m) *Comment. in GALEN. de off. C. 32.* n) *Ephem. N. C. Dec. I. A. 6. obs. 71.* o) *Ib. Dec. II. A. 1. obs. 127.* p) *Lil. cit. Ep. XXV. 6.*

## §. XIV.

Hæc sunt, B. L. quæ Tibi præbere cogitavi, omni semper conatu eo laboravi, ut naturam sequar, & castis Artis Medicæ principiis phænomena exponam; si quæ sunt, quæ minus arrident sortemque redolent humanam, scias velim, me paratissimo animo errores agniturum & corræcturum esse. Imo ipse Tibi licentiam offero expungere, quæ veritati repugnant.



THESES.

I.

*Idem solum nutrit plantas, quæ diversissimos succos vebunt, hinc evidens est, idem nutrimentum à varia plantæ structura variam formam accipere.*

II.

*Contra omnes morbos natura insurgit, & pro ratione vi-  
rium corpori insitarum vel vincit & benignum sistit mor-  
bum, vel vincitur, tuncque malignus audit.*

III.

*Hypothesis de sede animæ in glande pineali GALENO, non  
vero CARTHESIO, debetur.*

IV.

*Arteriarum loco motivum motum assumimus.*

V.

*HIPPOCRATIS, GALENI, BOYLEI, SYDENHAMI, LO-  
CKII, BOERHAVII, HOFFMANNI, TRALLESII, HALLERI  
&c. libri refutant ideam, nullam plerumque Medicis esse re-  
ligionem.*

VI.

*Post extractam Cataractam, Humorem vitreum ea par-  
te, cui lens antea insidebat, in formam convexam non mutari  
docet observatio in cadaveribus instituta.*

VII.

*Ferrum principio inflammabili modo eget ad producendam  
Chalybem.*








Strassburg, Ned. Diss., 17. Nagel-  
Nische

X 241 8713

VO 17



B.I.G.

Farbkarte #13



DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>I</sup>O IN<sup>A</sup>UGURALIS MEDICA  
OBSERVATIONEM  
APOPLEXIAE  
EX  
NIMIS ANIMI CONTENTIONIBUS  
ORTÆ  
COMIT<sup>E</sup>  
SISTENS  
QUAM  
DIVINO NUMINE ASSISTENTE  
ET FACULTATE MEDICA GRATIOSE ANNUENTE  
PRO LICENTIA  
GRADU M DOCTORIS  
IPSIQUE ANNEXA PRIVILEGIA  
RITE CONSEQUENDI  
SOLENNI ERUDITORUM SCRUTINIO SUBJICET  
JOHANNES NONNENMANN  
ARGENTINENSIS  
AA. LL. M.  
DIE XXVII. SEPTEMBRIS A. MDCCCLXXI.  
H. L. Q. C.  
ARGENTORATI  
ex Officina JOH. HENR. HEITZII, Universit. Typogr.